

Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchier.

17.
16

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
^{QVA}
**VISUS
VITIA DUO
RARISSIMA**

ALTERVM DUPPLICATI, ALTERVM DIMIDIATI
PHYSIOLoGICE ET PATHOLOGICE
CONSIDERATA

PRAESEDE

DN. ABRAHAMO VATERO
PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.

ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. NEC NON SOCIETATVM
IMPER. NAT. CVRIOS. ET REG. BRITANN. SOCIO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

ET PRIVILEGIA RITE OBTINENDI

D. XXV. MAII ANNO M DCC XXIII.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM VSITATIS

AD DISCEPTANDVM EXPONIT

IOHANNES CHRISTIANVS HEINICKE

GERA VARISCVS

WITTENBERGAE, LITERIS VIDUAE GERDESIAE.

DIGESTA MATERIA MEDICA
VII SUS
OUGLA TIGI
AMISI RAY
ITALIA ROMA ETATI ALTA
ALTELLUM DATUM CANTABR.
SOCIETATIS
GARIBOLDI
DZANAHAN MATHEO
TYPIS ET LIBRIS SOCIETATIS ET SIC
MUS NON SOCIETATIS
SOCIO
NET
DZANAHAN
SOCI
SOCIETATIS
SOCIETATIS
HEINICKE
SOCIETATIS
SOCIETATIS



Q. D. B. V.

Vemadmodum omnia et singula corporis humani, organa uisceraque ita comparata sunt, ut propter elegantissimam strukturam ac dispositionem, tot uiuentium actionibus perficiendis aptam, admirationem nostram excitare queant: ita inter illa maxime organa sensoria, adeo diuerso partium componentium, artificio exquisitissimo elaboratarum, apparatu instructa deprehenduntur, ut, quo diuitius et attentius eadem consideramus, eo maior atque frequentior nobis nascatur occasio, illorum intuitu obstupescendi, ac ineffabilem Summi Opificis sapientiam admirandi celebrandique. Gaudent haec singula conformatio[n]e speciali, ipsis propria, atque ad sensationem determinatam perficien-

A 2

ciendam adaptata, qua non tantum inter se differunt, sed mutua quasi aemulatione inuicem certant, ut difficilimum sit statuere, quodnam eorum structurae elegantia, ac symmetriae mechanicae excellentia, reliquis antecellat. Quoniam tamen oculi, supremum in capite locum occupant, nitore et pelluciditate singulari ab aliis se distinguunt, tam uario partium delicatissimarum apparatu gaudent, lucis atque colorum, et imaginum diuerissimarum perceptioni inseruiunt, ac quod palmarium est, intimam cum anima nostra rationali communicationem obtinent, adeo, ut eiusdem indoles, propensio, singulique affectus uiuis quasi coloribus in iis depingantur, ab omni tempore principem inter organa sensoria locum haud immerito occuparunt. Eas ob causas Orpheus oculos naturae speculum, Plato partes diuinissimas, Alexander Peripateticus animae fenestratas, Hesychius solis partum nominauit, et uti sol Aegyptiis mundi oculus salutatus est, ita oculi microcosmi lumina recte audiunt. Inuenerunt hic Anatomici, de uera partium structura soliciti, inuenerunt Physici, observationibus naturae effectuum inuigilantes, habuerunt Mathematici, in explicandis lucis et colorum proprietatis ac uisus phaenomenis occupati, habuerunt tandem et Medici, affectibus oculo-

oculorum medendis intenti, in quo ingenii uires
exercere potuerunt. Ut ut uero Physici ac Ma-
themati ci, examinando lucis proprietates, et re-
fractionum leges, ac comparando imprimis oculum
cum camera obscura, in uisionis natura illustran-
da, industria nuncquam satis laudandam collo-
carint, tantum tamen abest, ut negotium omnino
confectum sit, ut potius, quo intimius illi penetra-
runt, tanto pluribus difficultatibus rem istam im-
plicatam esse sentiant. Nemo in hunc usque di-
em certas et apodicticas rationes dare potuit, qui
fiat, quod, cum oculi in omnibus fere cum camera
obscura conueniant, et in illis aeque, ac in hac,
obiecta omnia situ inuerso depingantur, haec ta-
men a nobis erecta uideantur. Taceo nunc reli-
qua uisus phaenomena singularia, ubi obiecta alienis
coloribus infecta, erecta inuersa, recta curua,
quieta in motu constituta, remota propinquaque, et
uiceuersa, oculis interdum apparent. Attentio-
nem imprimis meretur symptoma illud rarissimum,
cuius ex Hermanno Cummio mentionem fecit Bo-
netus, quando Theologus, plaga dolorifica, a ru-
pta instrumenti musici chorda accepta, nocte sub-
sequente iam adulta, e somno euigilans, cuncta
clare, ac si de die esset, uidit, adeo, ut minimos
picturarum et tapetum tractus obseruare, chara-

steresque ex libro legere posset. Oculo uero laeso clauso, tenebras densissimas adesse, ille percepit, eodemque iterum aperto, conlaue illustratum uisum est, lucem tamen candelae allatae, solisque splendorem de die, aegre tulit oculus affectus, quod per aliquot dies durauit, tandemque sensim remisit. Conuenit cum hoc casu sequens historia, quam Tackius, Archiater quondam Hasso Darmstadinus, ac Medicinae et Eloquentiae Professor in Academia Giessena celebris, de se ipso ad Reiselium prescripsit, qua refert, sibi, ingruente crepusculo, meditationibus intensioribus inhaerenti, subito flammam ex oculis suis erumpere, ac insubiectam chartam expandi, uisum fuisse, qua haec adeo illuminata fuit, ut luminis istius usura duas integras lineas scribere potuerit, antequam lux ista evanesceret, uti uidere est apud Bonetum Med. Septentr. L. I. Sect. XXII. Cap. 46. 47. Rerum barum intelligentes facile iudicabunt, affectus hos ex nimia pupillae dilatatione originem traxisse; ob quam lux per atmosphaeram dispersa, intra oculum collecta, illuminationem hanc mentita est. De hoc tamen pluribus agere, non est animus, quoniam nouum plane et inauditum uisus phaenomenon, a nemine auctorum hactenus consignatum, admirationem nostram nunc postulat. Est hoc uisus

sus rerum dimidiatus, in tribus aegris a nobis obseruatus, quo illi obiecta omnia, per medium quasi secta et dimidiata, atque dimidiata tantum eorum partem uiderunt. Dignum hoc iudicauimus argumentum, quod speciminis inauguralis loco orbi eruditio exponatur. Ob materiae tamen affinitatem, et ut uisus dimidiati ratio magis patefacat, praemittere constituimus uisum rerum geminatum, in alio aegro a nobis obseruatum. Fazit Deus T. O. M. ut singula cedant in sui honorem, et aegrotantium emolumenntum.

CASVS I.

Visus geminatus, terrore, a fulgere concepto, excitatus.

Anno M DCC XXI. Mense Maio, Minister Ecclesiae in pago, duobus abhinc lapidibus constante, mediae aetatis, hypochondriacus, atque catarrhis, doloribusque imprimis capitis obnoxius, percepto tempestatis appropinquantis fragore, ades suas egreditur, coeli constitutionem contemplaturus. Hoc ipso momento, in ostio stans, fulguris splendore, oculos inopinato feriente, ipse uehementer confunditur, adeo, ut totus timore perculsus, quid sibi accidisset, ignarus in conclave se reciperet. Haud ita multo post, elapsa circiter hora una uel altera, uertigine grauiter afflictum se sentit noster, simulque obiecta omnia dupliciter uider. Quam-

pri-

primum uero ille oculum alterutrum claudit, oculo uno
bene et accurate uidet, sed utroque aperto, statim uer-
tigine et dupli obiectorum conspectu perturbatur. In-
spectis iussu eius, a domesticis oculis, manifesta eorum di-
storsio, et pupillarum ad diuersas plagas directio appetat.
Ipse propterea, affectu hoc singulare perterritus, malum
euentum, ipsamque apoplexiā metuens, auxilium a no-
bis anxie postulat. Praescripsimus eidem, praeter laxan-
tia blandiora atque uescicatoria interponenda, interna resol-
uentia neruina antispasmodica, et externa discutientia,
cephalica, roborantia, temporibus ac nuchae applicanda. His
tamen malum ab initio parum cedere uisum est, ut potius,
aegro imprimis moerori uehementer indulgenter, in eo-
dem fere statu permanserit. Quamobrem consilium ipſi
deditus, ut animo a curis et anxiis meditationibns ab-
stracto, remedia praecripta continuaret, DEOque confi-
sus, meliora speraret. Ita ergo factum est, ut elapsis pau-
cis septimanis, affectus sensim euaneſceret, aegerque pri-
stinae sanctitati restitueretur.

CASVS. II.

Visus Obiectorum Dimidiatus, Moeſtitia Contractus.

Vir iuuenis plethoricus, animo ingenuo, liberali-
ac iucundo praeditus, et liberiori uitiae generi, con-
uersationibusque asiduis assuetus, ante aliquot
annos, in loco, a conuersatione amicorum grata remoto,
contra naturae instinctum, per aliquod tempus commorari
cogitur. Aegre hoc tuliſt noster, a solitudine plane alie-
nus,

nus, animumque propterea solicitudinibus tristibusque cogitationibus mire defatigauit. Accidente praeterea ui- ni noui, asperi atque austeri abusu, affectionibus hypo- chondriacis, obstructionibus alui, anxietatibus praecordio- rum afflictum se sensit, adeo, ut eo tempore uix per ho- rae quadrantem, etiamsi stando, quicquam attente lege- re ac meditari ualuerit. Hoc rerum statu factum est, ut ille, qui alias pingendis punctatum imaginibus, (Migua- ture) deditus erat, dum aliquando in pingenda tali ima- gine minutissima, obuli magnitudinem haud excedente, occupatus, aciem oculorum nimium intendebat, subito uisum confundi, oculisque caliginem offundi perciperet. Hoc ipso omnia, quae oculus obuersabantur, obiecta di- midiata, ac per medium secta uidit, adeo, ut, siue ambo- bus oculis, siue alterutro clauso, quicquid intuebatur, quoad dimidium tantum uideret, dimidia rerum parte uisum plane fugiente. Affectu hoc inuisitato ac extraor- dinario, haud parum perturbatus fuit animus ipsius, ini- primis, cum eundem ad aliquod tempus continuare sen- tiret. Durauit tamen hoc symptoma uix ultra horam unam, uel alteram, ac postmodum per se, absque ullius re- medii usu, euauit. Eundem tamen affectum, in fo- mina hypochondriaca et scorbutica, uini pariter crassio- ris potui, ac animi affectibus grauioribus indulgenter, a moerore diuturno, fletuque frequenti inductum, per sex integras menses durasse, et postea, animo a curis libera- to, sensim remisisse nouimus. Tertium huius uisus dimi- diati exemplum, hoc ipso tempore, quo in dissertatio- ne hac elaboranda occupati sumus, praebuit nobis ma- trona nobilis, ex cuius ore habemus, saepissime ipsi con- tingere, ut obiecta omnia, quoad dimidiata tantum eo- rum

rum partem uideat, imprimis hoc tempore, quo ute-
ro gerit, symptoma tamen hoc non diu durare, sed mox
transire.

THES. I.

Nemo non uidet, binas has vitiatae uisio-
nis species, uti e diametro sibi opposi-
tas, ita non uulgares, sed rarissime ob-
uias, simulque explicatu esse difficilli-
mas. Visio quidem duplicata adeo infrequens
non deprehenditur, ut potius uel sola ebrie-
tate, uel distortis studio oculis, excitetur, causa
tamen huius rei obscura satis est, in cuius exposi-
tione auctores parum inter se conueniunt, imo,
uti ex sequentibus manifestum fiet, rem acu non
tetigerunt. At uisio dimidiata adeo rara atque
extraordinaria est, ut etiam huius rei nil quic-
quam, ab auctoribus consignatum, reperire li-
ceat, quamobrem nos ipsi de huius affectus e-
xistentia dubitaremus, nisi ueritatem eius, ex ae-
grorum ipsorum fide dignorum, propria rela-
tione cognovissemus. Mirum omnino est, nul-
lam hujus affectus mentionem, in libris Physico-
rum atque Mathematicorum factam esse, unde
forte quispiam concluderet, phantasiae potius,
quam uisus, laesioni eundem adscribendum esse.
Quoniam tamen ille in tribus aegris, sat diu du-
rans,

rans, ac per interualla repetens, a nobis obseruats est, in animu[m] induximus, in causas ipsius inquirere, ac demonstrare, eundem ad uisus laefiones uere pertinere. Potuisset quidem nos a proposito hoc deterrere summa huius rei obscuritas, nisi satius duxissimus, in re tam ardua et noua aliquid experiri, quam phaenomenon illud curiosissimum, et ad alia uisionis uitia melius intelligenda utilissimum, diutius in tenebris absconditum relinquere. Dabit tamen, uti speramus, Beneuolus Lector ueniam, si quidem rationes, a nobis in medium adductae, ipsi non in omnibus satisfaciant. Nascetur forte exinde occasio, Physicis et Mathematicis celebrioribus, accuratiu[s] in huius rei fundamentum inquirendi. Nobis interim sufficiat, mentem nostram de ea in praesenti exposuisse, atque ex principiis Anatomicis et Medicis in eius causas inquisivisse.

THES. II.

Priusquam tamen ad casu[m] nostrorum considerationem nos conferamus, praemittenda quaedam erunt, de oculi structura, uisusque naturaliter constituti oeconomia, ut tanto accuratiu[s] de uisu deprauato ferri queat iudicium. Oculorum texturam artificiosissimam, ac plusquam Mechanic-

chanicam, longiori uerborum apparatu delineare, opus hic non erit, utpote de quo Anatomorum libri consuli possunt. Generaliter anno-tasse sufficiat, organa ista elegantissima, ex membranis, humoribus, atque uasculis uariis, ita disposita et fabrefacta esse, ut radii lucidi, ab objectis illuminatis reflexi, per tunicam eorum anteriorem diaphanam, corneam dictam, transeuntes, ac in transitu per humores, aqueum, crystallinum et uitreum uarie refracti, ad tunicam retinam, interius in oculo expansam abire, et in hac obiectorum imagines, tanquam in camera obscura, delineare queant. At enim uero, quoniam iisdem oculis, res non tantum prope nos positas, sed etiam longius a nobis distantas, perspicimus, eam ob causam pupilla, per fibras ciliares cum crystallo cohaerens, mobilis existit, et ad moderandum radiorum lucidorum transitum, modo dilatatur, modo constringitur, eoque ipso humorum crystallinum, nunc posteriora uersus deprimit, nunc anteriora uersus ducit. Ita enim fit, ut, pro uaria obiectorum distantia, axis uisus breuior vel longior euadat, et radii lucidi in foco uniantur, atque sic rerum imagines accurate, et distincte in tunica retina depingantur. Hac ipsa impressione in fibris tunicae retinae nerueis facta,
succus

succus neruosus, in iisdem latens uarie afficitur, et commouetur, motusque ille per neruos opticos, ad principia neruorum propagatur, ex cuius diuersitate anima, in cerebro habitans, de obiectorum uarietate iudicat. Quomodo autem anima immaterialis ab impressionibus corporeis affectiatur, nostrum non est explicare, neque hoc ab ullo idoneis uerbis exponi haec tenus potuit.

THES. III.

Occurrunt in uisu admiranda plane phaenomena, explicatu difficultima, quae acutissimum virorum ingenia mire exagitarunt. Concipi enim uix potest, quo pacto radii lucidi, a rebus tot diuersissimis, uarie sitis & coloratis reflexi, ac una et semel intra oculos recepti, sine ulla confusione, ad tunicam retinam abeant, in eaque obiectorum istorum situm, colores, distantiam, ac mille alias conditiones minutissimas exprimant. Maxime uero omnium admiracionem excitauit, qui fiat, quod, cum obiecta re uera dupliciter in duobus oculis depingantur, et ita necessario duplarem, per neruos opticos commotionem efficiant, nihilo tamen secius simplicia, uti sunt, a nobis videantur. Huius rei fundamentum Galenus iam tum, aliisque ueterum in

B 3

con-

coniunctione neruorum opticorum, iuxta sellam equinam, posuerunt, in quo coalitu speciem duplcem unam fieri, existimarunt. At recentiores ab his recedunt, exemplis moti eorum, in quibus nerui isti, annotante Loffelio, Vesalio, Riolano, atque Caesalpino, toto tractu distincti reperti fuerunt, qui tamen obiecta sub duplice schemate non uiderunt.

THES. IV.

Attamen hi nullatenus inter se conueniunt, sed in explicatione huius phaenomeni, uehementer dissentunt. Alii enim ad radios uisorios, ab anima retro, per utriusque oculi centra, uersus obiectum unicum eductos, seu rectilinea mentis iudicia confugiunt, inter quos est *H. Fabri in Synopsi Optica et Tract. de Homine*, et qui hunc sequitur, *Sturmius senior in Matheſi Iuuenili Scient. Optic. Sect. I. C. XI. §. 4. ac Philof. Eclect. Tom. II. Exerc. V. Cap. II. et III.* Alii cum Cartesio, filamentorum nerui optici Sympathicorum, concursum intra cerebrum in unicum punctum supponunt, quamobrem motiones duplices, in oculis excitatae, concurrent, et simplicem tantum unius obiecti sensationem efficiant, uti exposuit *Rohault. Tract. Phys. P. I. Cap. 31. et 32.* Alii

Alii denique ad situm potius, et tensionem aequalis fibrarum, in nervis opticis attendunt, ut pote, quae annotante Briggs in *Ophthalmographia ac in Theoria noua Visionis, Regiae Anglorum Societati exhibita*, super thalamos tractae, chordarum citharae, super ponticulum flexuram referant. Ex hoc ille infert, fibras nervi utriusque optici parallelas, et aequaliter tensas, a radiis lucidis fibratas, non magis duplificem, obiecti unius sensationem inducere, ac fides duarum cithararum concordes, et homotonae pulsatae, duplificem sonum edant.

THES. V.

Nulla harum sententiarum, ueritati magis conformis uidetur, quam ultima Briggii, quae etiam a plerisque recentiorum, cum applausu recepta est. Experientia enim docet, sola oculorum distorsione, mutato hoc ipso fibrarum, utriusque nervi, parallelismo, axin usus alterari, ac obiectum unicum propterea duplex apparere. Quo minus tamen hoc frequentius contingat, et ut horum nervorum aequilibrium conferuetur, praeter connexionem, iuxta sellam equinam, multum in muscularum, imprimis obliquorum, aequuali proportione, et tractione situm est. Obliquorum

rum enim superior per trochleam specialem, inferior uero ex peculiari orbitae foramine, ad oculum tendit, qui cum reliquis musculis contrariis, aequalem inter se obtinent proportionem, qua deficiente, oculi perpetuo strabimo laboraturi essent, uti Briggs loc. cit. iudicat. Quoniam igitur ad uisus simplicis, mediante oculo duplice peracti, rationem exponendam, sufficere potest parallelismus, et tensio aequalis fibrarum in nervis opticis, inde nulla opus esse fibrarum, in coitu nervorum istorum, decussatione ac confusione, coniiciunt Auctores, ideoque concludunt, coniunctionem nervorum opticorum, in anteriori sellae equinae parte, esse tantum superficialem. Nihil omnino est, quod contra sententiam illam regere queamus, ut potius ambabus largiamur manibus, ad simplicem obiecti unius uisionem, necessario requiri fibrarum, utriusque nervi optici, sicut, tensionemque aequalem. Consentientes pariter illi nos habent in eo, eam ob causam opus nullatenus esse, ut supponamus fibrarum istorum decussationem, et intimorem unionem, quam alias ad oculum demonstrare non licet. At enim uero, si phaenomenon uisus dimidiati, in casu secundo expositum, attentius intueamur, manifestum euadet, ad huius rationes expendas,

das, absolute necessarium esse, ut decussationem atque intimorem unionem fibrarum, utriusque nerui optici statuamus, utpote qua nisi concessa, frustra quis laborabit, in causis huius affectus singularis peruestigandis, ut ex sequentibus palam fiet.

THES. VI.

Non deerunt forte, qui institutum hoc nostrum, quo fibrarum, in neruorum opticorum coniunctione, decussationem, contra sententiam, ab omnibus Physicis et Mathematicis receptam, de neruorum istorum superficiali tantum concretione, adstruere conamur, nimis temerarium et audax pronuntiabunt. Neruorum, si non universi corporis, quorundam tamen, decussationem suadere uidentur symptomata quaedam, a contusionibus, aut laesionibus aliis capitis ac cerebri producta, ubi laeso unico latere, partes alterius lateris paralysi, ac conuulsionibus affictae observatae fuerunt. Quoniam tamen ista neruorum decussatio demonstrari nequit, et concusso licet cerebro in uno latere, laesio eiusdem praecipua, in altero latere fieri potest, quemadmodum in cranio contrafissurae contingere obseruantur, ideo talem neruorum decussationem plerique non

C

admit-

admittunt. Totos uero neruos opticos, in animalibus quibusdam, se ita decussare, ut dexter ad sinistrum, sinister uero ad dextrum oculum uadat, quidam se uidisse perhibuerunt, quale quid de Lupo marino aliisque refert *Collins in the Systeme of the Anatomy T. II. Cap. 53.* cuius quidem intersectionis horum neruorum, totalis, nos nullam perspicimus utilitatem. Aliter tamen series habet cum intersectione fibrarum, in coniunctione neruorum opticorum, quae nostro iudicio, ad illustrationem uisus dimidiati, necessario supponenda erit.

THES. VII.

Varia quidem sunt, quae huic sententiae parum fauere uidentur, quamobrem etiam autores, combinationem neruorum opticorum, tantum superficialem statuunt. Vidimus supra, neruos opticos, toto suo tractu separatos, quandoque in hominibus inuentos fuisse, eosque in chamaeleonte plane non coire, communis fert opinio, uti refert *Briggs loc. cit.* Imprimis uero decussationi fibrarum in neruis opticis, penitus contraria apparer obseruatio *Vesalii, de Corp. human. fabric. Lib. IV. cap. 14.* allata, qui in foemina, cuius oculus dexter, a prima infanthia minor et emaciatus,

tus, sinister uero sanus et perfectus extitit, nerum dextrum toto sui tractu, exiliorem se inuenisse perhibet. Inde enim quispiam inferre facile posset, nerum dextrum dextro, sinistrum uero sinistro tantum oculo opem ferre. Facilimo tamen negotio, dubiis istis occurrere nos posse, iudicamus, si modo exempla illa, ab Auctoribus citata, quoad omnes circumstantias rite pondemus.

THES. VIII.

Quod ad hoc attinet, in quibus nerui optici plane non concreti, sed per totum eorum tractum, separati inuenti fuerunt, fuit haec strutura praeternaturalis, a qua ad statum naturalem concludere non licet. Occurrunt sane, in sectionibus corporum defunctorum, interdum extraordinariae, uel plane monstrosae partium conformatio-nes, quae tamen nullam regulam efficerre possunt, iuxta quam de constitutione naturali iudicare queamus. Ponamus etiam, dari animalia, in quibus iste neruorum opticorum coalitus deficit, ex eo tamen nullatenus sequitur, ipsa perinde ac homines, eodem destitutos, dupli- cili usi- affici debere, uti auctores coniiciunt, si modo parallelismus fibrarum, et oculorum ipsorum con- ferue-

seruetur. Ex antea dictis enim constat, ad uisum rei unius simplicem, non absolute requiri illam neruorum coniunctionem, sed sufficere aequalem fibrarum, utriusque nerui sicut atque tensionem, ob quam unicum obiectum, quamvis dupliciter in duobus oculis delineatum, simplicem tantum et consonam motionem, uerius cerebrum efficit. Hoc uero tanto magis fieri constat, ubi nerui optici coaliti sunt, etsi hoc ipso fibras suas, inter se decussatas, intimius uniant, uti demonstrandum nobis sumpsimus.

THES. IX.

Sed huius decussationi obstat adhuc uidetur observatione Vesalii antea citata, qua foemina, a prima infanthia oculo dextro minori, atque emaciato instructa, post mortem neruum quoque dextrum, sinistro exilio remonstravit. Hanc tamen obseruationem nil ad rem facere, et ad destruendam thesin nostram, de fibrarum in neruis opticis decussatione, infirmam esse, ex dicendis manifestum fiet. Extra omnem quippe dubitationis aleam positum est, neruos opticos ad oculorum nutritionem plane non facere, sed uisui tantum inseruire. Hanc ob causam oculi in gutta serena nitidi, turgidi, splendentes atque succi pleni obseruantur, cum tamen in hoc affectu influxus liquidi

liquidi animalis per neruos opticos totaliter intercipiatur. Imo observationi Vesalii, aliam nos opponere possumus experientiam Cheseldenii, qui in sectione cadaueris cuiusdam, nervum pariter opticum dextrum, sinistro multo exiliorem, atque prauo colore infectum inuenit, oculo utroque nihilo secius in hoc subiecto, extrinsecus ab omni uitio libero existente, uti in *Transact. Anglic.* n. 387. p. 287. consignatum reperire licet. Nihil certi quidem ille, de uisu conditione in defuncto, quamdiu hic in uisu esset, rescire potuit, ac propterea coniicit, illum forte gutta serena huius oculi laborasse. Ex hoc tamen manifestum est, atrophiam oculi in Vesalii exemplo, non a nerui optici huius lateris contabescentia, sed ex alia causa, originem traxisse.

THES. X.

Remotis itaque illis, quae fibrarum, in nervorum opticorum coniunctione, decussationi contraria uidebantur, nunc ad rem ipsam accedimus, ex uisu dimidiati ratione demonstruri, eandem ad phaenomeni huius rarissimi explicationem, omnino necessariam esse. Hoc ut recte peragatur, supponendum prius est, uitium hoc neque in tunica cornea, neque

C 3

in

in humoribus oculorum haerere posse, utpote
quaes partes diuisiōnem, in duo segmenta aequa-
lia non admittunt, adeoque uisum talem dimi-
diatum nullatenus producere possunt. Noui-
mus quidem, ex relatione Chirurgi periti, ex-
emplum, ante plures annos hic loci contin-
gens, ubi quis ex contusione oculi facta, per
totam postea uitam hoc uitio laborauit, ut
laeso oculo obiecta omnia, quasi dimidiata, et
per medium secta uideret, ita tamen, ut totum
obiectum, quamvis diuisum, oculo usurparet.
In huius oculo nullum aliud uitium inspicien-
tibus apparuit, praeterquam, quod linea, per
medium pupillae transiens, hanc in duas partes
diuidere uideretur. Nostrum nunc non est,
decidere, utrum fissura humoris crystallini, an
uero alia laesio, huius rei causa extiterit, hoc
tamen clarum est, phaenomenon illud a uisio-
ne dimidiata, a nobis exposita, penitus differre,
utpote quae in humoribus latere non potuit.

THES. XI.

Nulla itaque oculi pars restat, praeter tuni-
cam retinam, ipsumque neruum opticum,
in qua affectus istius fundamentum quaerere
liceat. Luce enim meridiana clarius est, in
horum

horum aegrorum tunica retina, utriusque oculi, obiecta quidem plenarie depicta fuisse, in dimidia tamen eiusdem parte exinde, nullam per neruos opticos uersus cerebrum, succi animalis commotionem excitari potuisse. Inter omnes siquidem constat, tunicam retinam contextam esse, ex fibris neruorum opticorum medullaribus, per quas liquidum neruosum continuo influit, atque impressiones, a radiis lucidis factas, uersus cerebrum dicit. Conferata igitur res est, ad unum idemque, tunicae retinae utriusque oculi, latus dimidium, affluxum succi neruei interceptum, atque impeditum fuisse. Hoc autem posito, necessario sequitur, tunicam retinam in utroque oculo, ac ipsos quoque neruos opticos, in duo segmenta aequalia diuisa, reperiri. Hanc tamen neruorum opticorum, in duo quasi hemisphaeria diuisiōnem, ante eorum coniunctionem statuere, absurdum foret, quapropter inde merito inferatur, talem in ipso coalitu, iuxta sellam equinam, per fibrarum decussatarum combinationem, fieri debere.

THES. XII.

THES. XII.

Hoc ut eo clarius patescat, repetenda hic est ex anatomicis, constructionis cerebri ac egressus neruorum ratio. Notum enim est, quam quod notissimum, cerebrum ex duobus hemisphaeriis distinctis constare, ex quibus e-grediuntur neruorum paria, distinctis principiis in hemisphaeriis istis oriunda, ita, ut nerui dextri hemisphaerii dextro, sinistri uero sinistro lateri prospiciant, sensusque et motus in toto corpore principium constituant. Haec diui-sio cerebri, in duo separata hemisphaeria, unicum fundamentum est, quamobrem a laeso u-nico cerebri, ac spinalis medullae latere, huius lateris partes conuulsionibus, atque paralysi potissimum afficiantur, in latere uero opposito nihil de hoc percipiatur. Eaque corporis uni-versi diuisio, ratione neruorum, tam accurata et exquisita deprehenditur, ut etiam in Hemiplegia dimidium nasi, oris, linguae, faucium, ac reliquarum lateris affecti partium affligatur.

THES. XIII.

His praemissis, quilibet facile uidet, neruos opticos e distinctis hemisphaeriis, principiis

piis separatis oriundos, ante eorum combinationem, nullam inter se communicationem habere, multoque minus diuisionem in duas aequales partes admittere, sed, uti dexter dextro, ita sinistrum sinistro lateri dicatum esse. Quod si tamen dexter neruus totus in dextrum, et sinister in sinistrum, oculum abiret, non uideamus, quo pacto utriusque nerui optici, unum idemque dimidium latus ita affici potuisset, ut influxus succi neruei, in dimidiata tunicae retinae partem, impediretur. At enim uero, per rationes antea adductas, euictum est, uisus dimidiati fundamentum, nullibi alias, quam in tunica retina utriusque oculi, quoad partem dimidiata paralysi temporaria, seu, ut ita dicamus, hemiplegia laborante, quaerendum esse. Quam obrem ex his recte concludimus, neruos opticos non superficialiter tantum coire, sed in illo coalitu fibras suas ita decussare et unire, ut hoc ipso nerui, postea a se iterum recedentes, in duo segmenta aequalia, hemisphaeriis cerebri correspondentia, diuidantur, atque sic dextrum tunicae retinae latus, in utroque oculo, fibras e dextro, sinistrum uero e sinistro hemisphaerio accipiat, oculique adeo, ob fibrarum, ex neruis opticis accedentium, aequalem in tunicis retinis distributionem, in uisionis actu, inter

D

ter se consentiant. Hoc eo magis ueritati conueniens nobis uidetur, quoniam alias, superficialis neruorum opticorum coniunctionis, nullam insignem esse iudicamus utilitatem, ac imprimis, quia, uti haec tenus demonstrauimus, sine fibrarum in his neruis decussatione, uisu dimidiati ratio nullo pacto explicari potest.

THES. XIV.

Accedimus ad causas, uisu duplicati atque dimidiati, in easibus nostris exhibitas, quarum agendi modum, ad examen nunc uocabimus. Quantum ad uisum duplicatum, illum in sublato oculorum ipsorum, atque neruorum opticorum, et fibrarum in iisdem contentarum, parallelismo consistere, ex antea dictis constat. Hoc aequre bene fieri potest, si fibrae utriusque nerui, in coniunctione iuxta sellam equinam, decussantur, ac si hi, ex communi opinione, superficietenus tantum coalescerent. Variae quidem uisu duplicati causae, ab Auctoribus obseruatae fuerunt, quae tamen omnes eo collimant, ut parallelismus fibrarum in neruis opticis tollatur. Notum est, sola ebrietate uisum duplicari, hac uero transeunte, hoc symptomā iterum cessare, ex nulla alia ratione, quam propter motum sanguinis, uersus cerebrum

brum impetuosum et tumultuarium, quo ipso
nerui optici, arteriis carotidibus accumbentes,
inaequaliter premuntur, atque situs fibrarum
in iisdem parallelus auffertur. Propter istum
enim sanguinis, per carotides irruentis, impe-
tum, ac irregularē neruorum opticorum irri-
tationem, atque pressionem fit, ut obiecta, in tu-
nica retina delineata, non tantum duplia, sed
etiam multiplia, imo in motu constituta,
nutantia, aut in circulum mota, ebris appa-
rent. Ea etiam est causa, quod uisus dupli-
catus semper fere cum uertigine coniunga-
tur, quemadmodum hoc in exemplo, a nobis an-
notato, usu uenit. In hoc quippe consistit ra-
tio uertiginis, quando ob pressionem succes-
uum fibrillarum neruorum opticorum, influxus
fucci neruei in easdem inaequalis, circumgy-
rationis sensum in mente excitat, demonstran-
te, *Barthol. de Moor. in Pathol. cerebr. Cap. III.*
quatenus fibrae tunicae retinae singulis mo-
mentis, aliter atque aliter ab iisdem obiectis, in
sensu incurrentibus, mouentur, eoque ipso, ob-
iecta ista continuo locum mutare, atque in gy-
rum moueri, oculis apparent. Falsum propterea
conceptum, oeconomiae animali plane contra-
rium, hac de re sibi formarunt illi, qui in uer-
tigine spiritus ipsos, ita dictos, in gyrum mo-
ueri

ueri, existimarunt, utpote quod, in fibris ner-
uorum tenuissimis, inter se distinctis, fieri ne-
quit.

THES. XV.

Sed redeundum nobis est ad causas reliquas,
quaes uisum geminatum producere obserua-
tae fuerunt. Ita a solis catarrhis ac humiditate
nimia, oculum unum uel alterutrum irrigan-
te, hunc affectionem inductum esse, annotauit. Fo-
restus Lib. II. obs. 39. et Aquilonius Opt. p. 346.
quoniam in eiusmodi aegris, interdum nullum
aliud oculorum uitium apparuit. Curiosus im-
primis et notatu dignus est casus, ab Hoc de iu-
uene adductus, qui obiecta quidem propinquio-
ra simpliciter, remotiora autem omnia dupliciter
uidit, ex nulla alia causa, quam, uti idem reste
iudicat, quia aeger, laxato muscularum tono,
in obseruandis remotioribus, quae maiorem o-
culorum firmitatem postulant, eosdem firmos
et stabiles continere nequivit. Attentionem
pariter meretur, uisus geminatus in morti uici-
nis, atque ex morbis grauioribus reconuale-
scentibus, qualia exempla collegit Bonetus loc.
cit. Sect. XXII. Cas. 43. 44. Quemadmodum
enim in illis elater neruorum remittere, et in-
fluxus succi animalis cessare incipit, uti ex tre-
more

more in moribundis patet, ita in reconualescentibus quoque debilitas neruorum, ex morbo residua, huic affectui occasionem praebet. In illo etiam aegro, cui inter fugendum e fistula sumum tabaci, eodem citante *cas. 45.* uifus duplicatus contigit, affluxus humorum largior, uerfus caput et oculos concitatus, musculos relaxando, uel spasmus eorum excitando, oculorum dislocationem efficere potuit. Facere hoc praeterea quoque possunt, iniuriae ab extra oculis illatae, plagae et contusiones, atque tumores in cantho nati, quibus oculi distorquentur, uti in puerो decenni, a concussione per globulum niueum, oculum ferientem, post tumorem grauissimum, per tres menses durantem, affectum istum remansisse, ex Actis Literar. Sueciae A. 1721. p. 230. memorat Thümmigs im Verſuch einer gründlichen Erläuterung der merkwürdigsten Begebenheiten der Natur. P. I. C. VIII. In caſu a nobis adducto, a solo ipasmo, terrore, a fulgure inopinato excitato, oculi distorti, et in diuersas plagas tracti fuerunt, quemadmodum inspectio oculorum docuit.

THES. XVI.

Expositis causis uifus duplicati, examinandae nunc quoque erunt illae, quae rarissimum illum affectum, uifum nimirum dimidiatum, in aegris no-

D 3

ſtris

stris produxerunt. Per argumenta superius expo-
sita, certum et euistum esse iudicamus, fibras utrius-
que nerui optici, iuxta sellam equinam ita decussari,
ut tunica retina, in ambobus oculis, in duas partes
aequales diuidatur. Ex hoc ergo sequitur, uitium
aliquod, in alterutro cerebri hemisphaerio, adfuisse,
quo neruus opticus lateris affecti, siue obstructus, si-
ue ab extra compressus, officio suo fungi non po-
tuit. Obstructionem in neruo ipso adfuisse, cre-
dendum uix est, quoniam symptoma cito nimis
transiit, ac per interualla quandoque repetit, uti ex-
emplum tertium, a nobis allatum, docet Propte-
rea tamen nullatenus, cum Pitcairnio facere possu-
mus, qui in *Element. Med. Phys. Mathem. L. II. C. 12.*
contendit, nullam unquam in neruis, etiam in gutta
serena, a causis intra eorum cauitatem contentis,
obstructionem contingere posse, quoniam prius ob-
strui debuissent arteriolae, cum nil sit in neruis,
quod non prius fuerit in arteriis. Considerandum
enim est, tractus neruorum medullares tenuiores
longe esse, arteriolis minimis, adeoque humores len-
tos, quamvis per arteriarum extrema translatos, in
istis facilius subsistere et stagnare posse, imprimis
cum nerui destituantur pulsu. Facile interim lar-
gimur, obstrukciones in neruis, adeo frequentes non
esse, quam uulgo creduntur et accusantur.

THE S.

THES. XVII.


In nostris itaque casibus, obstructionem ipsius nerui adfuisse, nullatenus contendimus, sed potius pressione externa, a sanguine crassiori et feculento, in arteriis stagnante, liberum liquidi animalis per neruum transitum impeditum fuisse, credimus. Ad hanc arteriolarum in cerebro minimarum obstructionem, et neruorum, ob sanguinem impurum, per carotides impetuosius irruentem, compressionem, apprime conductit cachexia scorbutica et hypochondriaca, in aegris nostris obseruata. Quantum acredo scorbutica, cum uisciditate coniuncta, generi neruoso, ac oculorum praeprimis texturee tenerrimae delicatissimaeque, infesta sit, in uulgas notum est, utpote qua circulus humorum, per uasa cerebri et oculorum minutissima, retardatur, tubuli angustissimi obstruuntur, uel comprimuntur, nerui sensu exquisitissimo gaudentes irritantur, et in ipsos conuulsionesque concitantur, atque sic innumeris malis occasio praebetur. Hoc uero tanto magis contingere solet, quando propter obstructions, uiscerum abdominis depuratoriorum, aliique tenacitatem, impuritates in sanguine retinentur, flatusque in corpore coaceruantur. Propter circulum enim, in uisceribus obstructis, uasisque a flatibus compressis, difficiliorem, sanguis uiscidus

cidus et acris, impetuosius uersus cerebrum ruit, et uertiginem, spasmos, aliaque symptomata, hypochondriacis communia, producit. His omnibus tandem occasionem quoque praebent, causae aliae procatarrhicae, quales in casibus nostris fuerunt, curae ac moeror, cum lacrymis frequentibus, lucubrations et contemplationes obiectorum minutissimorum, quae aciem oculorum uehementer laedunt. His quippe affluxus humorum impurorum, uersus oculos concitatur, imprimis in subiectis cacoehemicis, diaeta prava utentibus, ac imprimis uini crudi atque tartarei potui indulgentibus, quorum sangvis alias scoriis crassis, mucosis atque tartareis abundat.

THES. XVIII.

De cura affectuum horum nihil addimus, quoniam rerum harum gnari facile intelligent, eandem ad causas enumeratas dirigendam esse. Hoc saltem adhuc notandum, quod, euicta fibrarum in neruis opticis decussatione, atque unione intimiori, iuxta sellam equinam, patescat ratio, cur oculo uno accuratius uideamus, quam ambobus? nec non, cur affectus oculorum tam frequenter, ex uno oculo in alterum transeant? De his tamen plura addere, tempus et spatium non permittit.

T A N T V M .





01 A 6551



f
Sb

VD 18
WDA





17.
16.

DISSE^TATI^O IN AVGVRALIS MEDICA
QVA
**VISUS
VITIA DUO
RARISSIMA**
ALTERVM DUPPLICATI, ALTERVM DIMIDIATI
PHYSIOLOGICE ET PATHOLOGICE
CONSIDERATA
PRAESIDE
DN. ABRAHAMO VATERO
PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.
ANAT. ET BOTAN. SUBSTITVT. NEC NON SOCIETATVM
IMPER. NAT. CVRIOS. ET REG. BRITANN. SOCIO
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
ET PRIVILEGIA RITE OBTINENDI
D. XXV. MAII ANNO M DCC XXIII.
IN AUDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM VSITATIS
AD DISCEPTANDVM EXPONIT
IOHANNES CHRISTIANVS HEINICKE
GERA VARISCVS
WITTENBERGAE, LITERIS VIDUAE GERDESIAE.